DE
HÆRESI BERYLLI
DISQUISITIO

Ex Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculi III.

HABITA

AB ANTONIO BALDELLI

PRESBYTERO FULGINATE

COLLEGII UMBRORUM ALUMNO

In Collegio Romano Societatis Jeſu Anno MDCCLV.
Menſe Auguſto die 6.

V. L.

ROMÆ MDCCLV.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI
PRÆSIDUM FACULTATE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

I. EUSEBIUS *lib.* VI. *Hiſt. Eccl.* res geſtas narrans Sæculo III. primam ponit eorum temporum hæreſim eam, quæ a Beryllo invecta eſt. *Tunc temporis* (ait *cap.* 33.) *Beryllus Boſtrorum in Arabia Epiſcopus Eccleſiaſticam pervertens regulam, nova quædam, & aliena a Fide Catholica inducere conatus eſt, auſus aſſerere Dominum, ac Servatorem noſtrum, antequam inter homines verſaretur, non ſubſtitiſſe in propriæ perſonæ differentia, nec propriam, ſed paternam dumtaxat Divinitatem in ſe reſidentem habere*: τὸν Σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν λέγειν τολμῶν, μὴ προϋφεστάναι κατ' ἰδίαν οὐσίας περιγραφὴν, πρὸ τῆς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίας, μηδὲ μὴν θεότητα ἰδίαν ἔχειν, ἀλλ' ἐμπολιτευομένην αὐτῷ μόνην τὴν πατρικήν. Beryllum hunc inter Eccleſiaſticos hujus ætatis Scriptores idem Euſebius antea (*cap.* 22.) numeraverat, laudans hominis ingenium, & ſcripta; eum quoque Boſtrenorum in Arabia Epiſcopum fuiſſe teſtatus. Illi in *Catalogo* ſuo locum etiam dedit Hieronymus, affirmans *aliquanto tempore* ante hæreſim *glorioſe rexiſſe Eccleſiam* Boſtrenam Arabiæ, tempuſque adnotat, *ſub Alexandro Mammeæ filio, & Maximino, & Gordiano*. Hæc non obſcurum hominem fuiſſe declarant, ſed omnino nobilem. Mirum ergo accidit, ſi Hæreſeos auctor fuit, præteriri ab Epiphanio, Philaſtrio, Auguſtino, Theodoreto, Iſidoro, Auctore Prædeſtinati, ab omnibus denique, ſi Euſebium, & Hieronymum, ac forte Gennadium excipias, qui poſtremus nomi-

nat eum ſolùm, accenſens Artemoni, & Marcello. Erit fortaſſe qui id factum putet, quod errorem ſuum abjecerit poſtea Beryllus ab Origine convictus, ut idem Euſebius eodem loco narrat; illum ſcilicet ab Origene *quaſi manu apprehenſum ad veritatis viam perductum, & ad priſtinam, ſanamque ſententiam revocatum*. Sed veriorem eam exiſtimabis; quod de hæreſi ipſa, in quo ſita eſſet, recentioribus paulo Scriptoribus non ſatis conſtaret. Tillemontius (*not.26. in Orig.*) conſultò Hieronymum feciſſe putat, ut Berylli errorem non explicatius proponeret, ſed perſtringeret breviter his ſolum verbis: *Ad extremum lapſus in hæreſim, quæ Chriſtum ante Incarnationem negat*, quod neque de illa, quid certò ſcriberet, haberet. Et tamen aliqua ejus rei monumenta extitiſſe videntur Hieronymi ætate; recenſet enim Berylli *varia opuſcula, & maxime epiſtolas, in quibus Origeni gratias agit*; additque: *Sed & Origenis ad eum litteræ ſunt. Extat Dialogus Origenis, & Berylli, in quo hæreſeos coarguitur*. Quantò ergo erit hoc nunc difficilius, quando nihil horum extat. Et Baronius quidem (*ad an.* 229. *n.* 2.) nihil in hanc hæreſim curioſius inquirit, Euſebii verba referre contentus; quod item Natalis Alexander, ceterique paſſim faciunt. Sed quid eſt illud, quod Euſebius errori Berylli deputat, dixiſſe illum; *Filium non propriam, ſed paternam dumtaxat Divinitatem in ſe reſidentem habere?* Tillemontius hoc nequaquam errorem eſſe, ſed Catholicum dogma contra Arianos affirmat; idemque fecerat ante Tillemontium Petavius *lib.*1. *de Incarnat. cap.*2. *num.*9., & Valeſius ad illum Euſebii locum. Uterque vero Tillemontius, & Petavius hinc collegere, Ariana labe infectum fuiſſe Euſebium; quibus acceſſit Ceillier *tom.*2. *Hiſt. Auct. Sacr. pag.* 595.

II. Nulla de dogmate ipſo controverſia eſſe poteſt; nimirum Filium non diverſam, ſed eamdem habere naturam Patris; uti omnipotentiam eamdem, ſapientiam &c. Hoc Catholica Eccleſia in ipſis Fidei formulis docet, docuitque ſemper, quarum princeps Apoſtolica; conditam enim ab Apoſtolis omnino exiſtimamus: explicatius vero docet Athanaſia-

naſia-

naſiana , cujus etſi minime auctorem Athanaſium fuiſſe judicemus , ſed (ſi quiſpiam nominatim appellandus eſt) Vincentium Lirinenſem ; eſt tamen Eccleſiæ uſu prope quotidiano conſecrata . Quæſtio eſt de Euſebii verbis , an aliquid illa ſignificent , quod rectæ fidei , atque huic Catholico dogmati opponatur. Ut ea explicemus , animadvertimus; duo fuiſſe Hæreticorum genera , qui inhabitantem in Chriſto Divinitatem dixere . Primum eorum , qui nihilominus dogma de Trinitate ſincerum retinebant ; in quorum numero fuit Neſtorius , qui idcirco duos Filios , duos Chriſtos admittere arguebatur ; ipſe vero , ut eſt apud Marium Mercatorem (*de diſcrim. tom. 2. edit. Garn. p. 17.*) *unum Chriſtum ſe definire ajebat , qui unctus eſt , & dici etiam poſſet Filius Dei , quia indiviſibili ſocietate Deo Verbo conjunctus eſt ;* addebatque : *ex merito ſingularis nativitatis , & incomparabilis vitæ dignum fuiſſe habitum , tamquam templum tota plenitudine Divinitatis , atque ob hoc , Deo , & Dei Verbo inhabitare .* Id dicentem illæſum Trinitatis dogma ſervare , poſtea idem teſtatur : *In eo vero , quod ſubſtantiale Verbum Dei confitetur , & eſſe ab æterno cum Patre Deum aſſerit , a memoratis* (Paulo Samoſateno , Ebione , Photino , Marcello Ancyrano) *recte diſſentit , & fidei rectæ conjungitur .* Atque hi quidem , a quibus Beryllus diſſentit , ſunt alterius generis; qui ita dicebant in Chriſto Divinitatem inhabitare , ut in Catholico dogmate de Trinitate offenderent , negantes diſtinctionem Perſonarum . De Paulo teſtis eſt Epiphanius *hær. 65. n. 1.* , qui eum docuiſſe affirmat , *Deum Patrem , & Filium , ac Spiritum Sanctum unum eſſe Deum ; Verbum Dei , ejuſque Spiritum ineſſe Deo perpetuo , ſicut hominis in corde proprium Verbum ineſſe cernimus ; Filium Dei ſubſiſtentiam habere per ſe nullam , ſed in Deo ſubſiſtere , id quod Sabellio quoque placuit , & Novato , & Noeto , aliiſque nonnullis , quamquam non eodem cum iſtis modo , ſed diverſo . Ad hæc Dei Verbum in terras delapſum in Jeſu , qui homo merus eſſet , inhabitaſſe . Ita unus , inquit ille , Deus eſt , neque aut Pater eſt Pater , aut Filius Filius , aut Spiritus Sanctus Spiritus eſt Sanctus . Imo vero*

Deus unus eſt Pater , & hujus in ipſo Filius ; ut eſt in homine ſermo . Idem Mercator ; *Neſtorius circa Verbum Dei non quidem , ut Paulus , ſentit , qui non ſubſtantivum , ſed prolatitium potentiæ Dei efficax Verbum eſſe definit . . . . In eo igitur Paulo Samoſateno conjungitur , in quo habitatorem , & habitaculum pro meritis ſeparat , dividens quod unicuique eorum ſit proprium , ex diverſitate naturæ , quod qaidem illis ambobus cum Ebione , & Photino , & Galata Marcello commune eſt* . Erant ergo qui ita Divinitatem inducebant habitantem in Chriſto , ut recte diſtinguentes Perſonam Patris a Perſona Filii , alteram hanc Perſonam inhabitantem in eo inducerent . Erant etiam qui Perſonas non diſtinguentes inhabitare dicerent in Chriſto Patrem ; quo nomine ſummum Deum ſignificabant : erat enim hoc ſolemne etiam antiquis PP. (quemadmodum jampridem animadverſum eſt a Viris doctis) , ut cum *Deus* ſine ullo addito diceretur (non *Filius Dei* , non *Spiritus Dei*) intelligerent plerumque Perſonam Patris . Quod ergo Euſebius ſignificare vellet , Beryllum ad hanc poſtremam Hæreticorum claſſem pertinere , non ad primam ; ideo dixit , Beryllum in Chriſto non admiſiſſe inhabitantem ejus Divinitatem , ideſt Verbum , ſed Patrem . Non video , ſi hoc dixit , quid Euſebius peccaverit.

III. At enim ſi θεότητα pro hypoſtaſi, ſeu Perſona Euſebius ſumpſit , imperite fecit . Eſt hæc Petavii accuſatio ſane gravis ; neque ſcio an alius præterea fuerit, qui imperitiam in Euſebio ſuſpicaretur . Sed reſpondemus Petavio . Primo : Cum hæreticam ſententiam explicaret , Hæreticorum etiam more loqui Euſebius debuit , apud quos cum una eademque eſſet hypoſtaſis Patris , & Filii , ſive ut apud Epiphanium Paulus Samoſatenus ajebat , *Filius in Deo ſubſiſteret* , Divinitatis , & hypoſtaſis commutare vocabula potuit , & neceſſe fuit . Deinde vero , illud etiam videamus qualis fuerit olim imperitia , hypoſtaſim pro Divinitate ſumere . Fulgentius (*ep.* 14. *pag.* 240. *edit. Pariſ.* 1685.) quærenti Ferrando; utrum dicere poſſimus, *Divinitatem natam*, *paſſam*, *mortuam* , *crucifixam* , reſpondet : *Quidquid horum dicatur*,

nihil

nihil præjudicare Fidei, probatque id ex Apoſtolo, qui *Chriſtum Dei virtutem*, *& Dei ſapientiam* dicit *Crucifixum*, pergitque multis oſtendere; *ſicut ſecundum carnem crucifixam virtutem fiducialiter vera fides novit*, *& credit*, *ita ſecundum carnem crucifixam Divinitatem confiteri*; quod ex Auguſtino confirmat, qui etiam ſcripſit *cap.* 34. *Enchiridii*; *Verbum caro factum eſt*, *a Divinitate carne ſuſcepta*. Ferrandus ipſe *in epiſt. ad Anatolium*: *paſſam eſſe Divinitatem* dixit: item; *poprie eſt nata de Patre Divinitas pura*, *proprie eſt nata de matre eadem incarnata Divinitas*. Vidit loca hæc omnia, aliaque Petavius ipſe *lib.* 5. *de Incarn. cap.* 1. Atque eodem teſte, PP. *naturam Verbi Incarnatam incredibili conſenſione dixere*, *quorum princeps Cyrillus Alexandrinus*; *imitatores deinde omnes Catholici*, *adeoque tota ipſa Chriſti Eccleſia*. Quod fuſius explicaverat ſuperiore libro. Jam vero apud Photium *cod.*230. *pag.*871. (*edit. Col.*1611.) *Eulogius docet eos qui dicunt unam Verbi naturam Incarnatam eſſe*, *illud velle*; *unigenitum Patris filium ſecundum hypoſtatim carni unitum*. Naturam ergo Divinam Verbi accipiebant pro Hypoſtaſi. Idem feciſſe Julium Pontificem, Ephræmius *ap. eumd. pag.*828. docet: & Cyrillum ita Juſtinianns Imp. explicat *in Confeſſione Fidei* (*tom.*2. *coll. Hard. col.*294.); *Quoties unam naturam dixit Verbi Incarnatam*, *in hoc naturæ nomine pro Hypoſtaſi uſus eſt*: imo ſe ipſe Cyrillus explicat *in defenſ. anath.*2. (*tom.*6. *oper. edit. Pariſ.*1638. *pag.*209.): *Nihil aliud demonſtrante niſi Verbi naturam ſive hypoſtaſim* ἡ τȣ̃ λόγȣ φύσις ἤγȣν ἡ ὑπόστασις *quod eſt ipſum Verbum*. Si natura Verbi Divina, pro hypoſtaſi accipitur, cur pro eadem hypoſtaſi non accipi poteſt Divinitas, ſive θεοτης? Novi id non placere Petavio, neque id multo ante Petavium placuiſſe Damaſceno *lib.*3. *de fid. orthod. cap.*XI. Sed primò aliis placet. Deinde; qua iſte explicatione utitur ad Cyrilli effatum, eadem quadrat Euſebio: *naturam Verbi*, ait ille, nec *hypoſtaſim ſolam*, nec *hypoſtaſum communitatem* τὸ κοινὸν, ſed communem naturam in Verbi hypoſtaſi ſignificat. Eſt hæc eadem explicatio Leontii *de ſect. act.*4. Sicuti ergo Cyrillus naturæ nomen uſurpare potuit non pro

natu-

natura, prout communis eſt, ſed ut in Hypoſtaſi exiſtit; cur non eodem modo Euſebius? Ita natura, prout eſt in Filio, ſive contracta ad Hypoſtaſim filii, non eſt natura, prout eſt in Patre, ſive contracta ad Hypoſtaſim Patris; erravitque Beryllus dicens, eſſe in Verbo naturam prout contractam ad Hypoſtaſim Patris.

IV. Placet, quoniam vocem illam θεότητα conſideravi, aliam nunc coſiderandam ſumere ἰδίαν. Inſedit hoc animo eorum, qui Euſebium accuſant; nihil aliud ea voce ſignificari, niſi, quod ita uni alicui convenit, ut alteri nulli conveniat. Accipi ſolere hoc modo illam vocem, non dubito; ſed quæro an ſemper ita neceſſario accipiatur? Si quis id affirmaret, amandandus eſset ad Logicorum ſcholam, & Porphyrio in diſciplinam tradendus; qui in *Iſagoge: de Proprio*, poſtquam eſſe quadruplicem ejus diviſionem dixit τὸ δὲ ἴδιον διαιροῦσι τετραχῶς *Proprium quadrifariam dividitur*, alterum *proprii* genus ponit, *quod accidit omni ſpeciei, etſi non ſoli; ut homini eſſe bipedem*: καὶ ὃ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἴδει εἰ καὶ μὴ μόνῳ, ὡς τῷ ἀνθρώπῳ τῷ εἶναι δίποδι: quod Porphyrium docuit ſummus ille verborum explorandorum, & accuratæ omnis ſermocinationis Magiſter atque artifex, Ariſtoteles *Topicor. lib.* IV. ubi idem tradit. Non ergo ſemper τὸ ἴδιον uſurpatur in ea ſignificatione, quæ rem ita alicui convenire demonſtrat, ut ſimul neget in alio ullo eamdem reperiri. At quid valet tunc *proprii* vox ſive τὸ ἴδιον? Hoc nimirum; non accidere habenti illud, ſive, ut Scholæ verbo utar, *accidens* non eſſe (accidens dico, quod hoc nomine magis intelligitur, non τὸ ἀχώριστον συμβεβηκὸς, quale conſideratur aliquando, & complexo hoc nomine vocat ibi Porphyrius); ſed rem intime afficere, non extraneum eſſe aliquid, quo vel manente vel recedente ſalva res ſit. Latini hujuſmodi ſignificationem vocis *proprius* ſæpe adhibuerunt, eòque tranſtulerunt, ut idem valeret ac *perpetuus*: quod quidem Grammatici adnotarunt ad Terentium *in Andr. Act.* 4. *Scen.* 3. Plautum *in Moſtellar Act.* I. *Scen.* 3. *verſ.* 68. Virgilium *Æn.* I. *verſ.* 77. & VI. *verſ.* 871. Hinc vox illa apud Cornelium Nepotem *in Traſybulo num.* 4.

Parva

Parva munera diutina; *locupletia non propria eſſe conſueverunt*. Scitum eſt etiam precantium illud; *bona ut propria ſint*: ideſt nullo ut externo incurſu, nullo caſu amitti queant. *Nil amplius oro... niſi ut propria hæc mihi munera faxis*, ajebat *Horat. lib. 2. Sat. 6. Dî tibi dent propria quæcumque exoptes bona*. Afran. *in Vopiſc.* Nam ut eſt apud Terentium *l. allato*. *Nihil eſt proprium cuiquam*; & apud Lucilium recitante Nonio; *Nihil eſt in vita proprium mortali datum*. Græcos idem feciſſe, imo etiam ſignificantius adhibuiſſe vocem ἴδιος ad id demonſtrandum, quod non alienum eſt, ſed veluti intimum rei, Ludovicus la Cerda ad Virgilii locum illum docuit; exemplum proferens ex Artemidoro. Sed vulgatiſſima eſt apud eoſdem, & quæ huc pertinet illa acceptio, ut ἴδιος opponatur ἀλλότριος. Ita cum Pindarus dixiſſet *Olymp.* XIII. *69.* ἐγὼ δὲ ἴδιος ἐν κοινῷ σταλεὶς, Scholiaſtes ad hunc locum ἐγὼ δὲ ὢν φησιν, οὐχ ὡς ἀλλότριός τις, ἀλλ' ὡς ἴδιος καὶ κοινὸς ἐν ὑμῖν.

V. Veram hanc eſſe interpretationem loci Euſebiani ex oratione illa tota, ſive ex contextu ipſo, patet. In iſtiuſmodi enim propoſitionibus prima pars ex adverſativa parte explicanda eſt; ergo niſi explicetur primo quem dixi modo; ita ut ſuppleatur in prima propoſitionis parte *propriam inhabitantem* (qua ratione τὸ *propriæ* adverſatur *paterna*); neceſſario fit, ut τὸ *propriæ* adverſari debeat *inhabitans*: ergo id ſignificat vox *propria*, quod *non eſt inhabitans* ſed intimum aliquid, & modo multo ſtrictiori ad rem pertinens. Ergo hoc dicit Euſebius, divinitatem non veluti hoſpitam in Chriſto fuiſſe, ſed illius humanæ naturæ divinam naturam ſubſtantialiter unitam. Hoc eſt θεότητα ἰδίαν ἔχειν: quod cum Beryllus negaverit, a Catholico dogmate longius aberravit. Quamquam non præteribo monere, illo Euſebii loco haberi in adverſativa parte ἀλλ' ἐμπολιτευομένην αὐτῷ μόνην τὴν πατρικὴν, quod Valeſius vertit *ſed paternam dumtaxat divinitatem in ſe reſidentem*; Rufinus *ſed hoc ſolum, quod paterna in eo deitas habitaret*, recte, neque id nego; ſed fortaſſe etiam commodius, *quæ eum regeret*, & *gubernaret*. Vocem hanc utramque ſignificatio-

ficationem recipere poſſe, & vulgo eſt notum, & nihilominus ad Thucididis *lib.* 4. *num.* 106. a viro erudito animadverſum eſt. Hæretici vero qui hoc pacto inhabitantem in Chriſto Divinitatem admiſere, non eam fecere otioſam, ſed quæ illius actus dirigeret, & gubernaret.

VI. Ceterum rem hanc totam illuſtrare videtur Marcelli Ancyrani cauſa, quem Veteres nonnulli violatæ fidei ſæpius accuſant, recentiores vero nunc plerique defendunt, noſque omnino recte ſenſiſſe de Trinitate exiſtimamus. Et Gennadius quidem, ut ſuperius dixi, *lib. de Dogmat: Ecclеſ. cap.* 3. Marcellum ſenſiſſe idem quod Beryllus affirmat, ſcribens: *Neque hic eſt natus ex Virgine, ut & Divinitatis initium homo naſcendo acceperit, quaſi antequam naſceretur ex Virgine Deus non fuerit; ſicut Artemon, & Beryllus, & Marcellus docuerunt.* Jam vero Marcellus contra accuſatorum ſuorum calumnias exponens fidem ſuam affirmat, ſe credere, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum *proprium eſſe Dei Verbum*; explicanſque quid *proprii* nomine intelligat, ſubdit, *indiviſam eſſe Dei virtutem*; *virtutem Patris, & Filium, qui neque ab eo dividi, neque ſeparari poſſit. Ego*, inquit, *ſacris litteris inhærens credo unum eſſe Deum, & unigenitum ejus Filium, Verbum...... Hic ipſe Filius, ipſe virtus, ipſe ſapientia, ipſe proprium, verumque Dei Verbum D. N. J. C. indiviſa Dei virtus* ὄντος ἴδιος καὶ ἀληθὴς τοῦ θεοῦ λόγος ... ἀδιαίρετος δύναμις τοῦ θεοῦ. Et paulo poſt: *Nam ſi quis Filium, hoc eſt Omnipotentis Dei Verbum ſeparare voluerit, neceſſe eſt, ut aut duos eſſe Deos arbitretur....... aut Verbum eſſe Deum inficietur..... Ego vero certe illud didici, virtutem Patris, hoc eſt Filium, neque dividi, neque ſeparari poſſe.* En ergo vox *proprium* in ea ſignificatione quam dixi, non eſſe extraneum aliquid, quod ita ei accidat, ut ſeparari poſſit. Atque hæc in ea Fidei formula apud Epiphanium *hæreſ.* 72. *n.* 2., quam quidem licèt genuinam non eſſe ſuſpicatus olim ſit Baronius, vere tamen Marcelli ipſius eſſe Petavius probavit, cui ceteri poſtea viri eruditi conſenſerunt. Apud eumdem vero Epiphanium Acacius Marcellum

Digitized by Google

cellum reprehendens, quaſi Filium, mutam, atque inanimam Patris imaginem dixiſſet, hæc habet: *Quoniam ejus dignitas non extrinſecus adſcita* (ὐ γὰρ ἔξωθεν τὸ ἀξίωμα) *ſed ut in Patre, a quo genitus eſt, ad eſſentiam ipſam pertinet*. Atque ita nimirum intelligendum eſt, quod idem Marcellus ait ibidem *n.* 2. de iis hæreticis, quibus ipſe accenſebatur φασὶ γὰρ, μὴ ἴδιον κ̀ ἀληθινὸν λόγον εἶναι τῦ παντοκράτορος θεῦ τὸν ὑὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ιησῦν χριςὸν, ἀλλ' ἕτερον αὐτῦ λόγον εἶναι, κ̀ ἑτέραν σοφίαν, κ̀ δύναμιν. Vertit Petavius: *In primis enim negant D. N. J. C. proprium, ac verum Dei Omnipotentis eſſe Verbum: ſed aliud ipſius eſſe Verbum, aliam ſapientiam, & virtutem eſſe prædicant*. Ego vero, ut arbitror, commodius; *Dicunt, non intrinſecum ſive ſubſtantiale, & verum Verbum eſſe Omnipotentis Dei Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſed extrinſecum ipſius eſſe Verbum, & extrinſecam ſapientiam, & potentiam*. Neſcio an huc quoque pertineat illud Cyrilli in Jo. (*tom.*4. *pag.*105.) τὸ γὰρ ἴδιον αὐτὸ τῆς τῦ πατρὸς ὐσίας φυσικῶς διῆκον εἰς τὸν ὑὸν. Plurima certe ſimilia habent Vett. PP. Concludo ergo, hac in deſcriptione Berylli hæreſis voluiſſe Euſebium; Beryllum dicere, D. N. J. C. non *ſubſtantialiter ſibi unitam* habere Divinam naturam, ſed Patris Divinitatem in illo habitantem, actuſque ejus omnes gubernantem.

VII. Nihil adhuc de prima parte diximus deſcriptionis hujus hæreſis, quam fecit Euſebius; *Dominum, ac Servatorem noſtrum antequam inter homines verſaretur non ſubſtitiſſe in propriæ Perſonæ differentia*: quibus verbis aperte negat, extitiſſe ante Incarnationem Perſonam Filii a Perſona Patris diſtinctam. Sed quærat fortaſſe aliquis, cur ea verba appoſuerit Euſebius *antequam inter homines verſaretur*; numquid poſtquam inter homines verſatus eſt, ſive poſt Incarnationem, admittere potuit diſtinctam Perſonam, ſi ante Incarnationem non admiſit? Ita profecto ſenſiſſe Paulum Samoſatenum cenſuit Garnerius *Diſſert. de hæreſ. Neſt.* §.3. ex ejus nimirum ſcholæ myſteriis: Verbum Divinum, perinde ac noſtrum gemino in ſtatu ſpectaſſe; prout

vel

Digitized by Google

vel ἐνδιάθετον eſt, & prout προφορικὸν, ut intra nos exiſtit, & ut foras profertur: Verbum quamdiu eſt in Deo, non aliam habere hypoſtaſim, quam ipſiuſmet intelligentis; cum autem profertur exterius, foraſque mittitur, tunc incipere habere ſuam a proferente diſtinctam hypoſtaſim, quam tamen amittit, ubi primùm redierit ad Deum, a quo proceſſit. Ita illud ἐνυπόστατον, cum a Deo diſceſſiſſet, & ἀνυπόστατον cum in Deo reſideret, feciſſe putat. Affert vero ad id probandum, locum ex ipſius Hæretici quæſtionibus, quas Dionyſio Alexandrino propoſuit, atque epiſtola Dionyſii ejuſdem, ubi Paulum dixiſſe ait, *duas hypoſtates, & duas Perſonas eſſe unius, & ſolius Chriſti* (*Bibl. PP. tom.* 1. *Græco-Lat. pag.* 273. *Collect. CC. Labb. tom.* 1. *col.* 849.) δύο ὑποστάσεις καὶ δύο πρόσωπα τοῦ ἑνὸς ἡμῶν χριστοῦ. Facile tamen eſt Garnerio reſpondere; totum illud opus quæſtionum una cum epiſtola Dionyſii adulterinum eſſe fœtum, ac Dionyſio, itemque Paulo ſuppoſitum, quod fuſe poſt Du Pinium probat Ceillier *tom.* 3. *pag.* 377. Si Baronio, Bellarmino, iiſque accedere volumus, qui totum illud Paulo, & Dionyſio adſcribunt, triplicem Tillemontius reſponſionem attulit, qua hoc explicaret. 1. Dionyſium cum hæc ſcriberet nondum Pauli errorem penitius exploraſſe. 2. Paulo quodcumque eſſet, eſſe hypoſtaſim. 3. duas has hypoſtaſes eſſe, Chriſtum hominem, & Patrem in ipſo per Verbum agentem. Prima horum diſplicet, cum Dionyſium faciat rem nondum plane cognitam, & exploratam damnare, ac reprehendere voluiſſe; quod minus ſapientis hominis eſſe videtur. Sed nec placet altera. Nam Samoſateni apud Epiphanium *n.* 3. *Verbum tale eſſe putant, quale in hominis eſt pectore; & ejuſmodi ſapientiam qualem in animo quilibet hominum inſitam a Deo, infuſamque poſſidet; quare unam eſſe Dei, Verbique perſonam exiſtimant: non ſecus atque homo unus eſt cum Verbo ſuo*. Profecto Verbum in hominis pectore, & ſapientiam a Deo inſitam, eſſe aliquid dicebant, nec tamen erat ipſis hypoſtaſis. Quod ex *quæſt.* VII. ad id probandum Tillemontius attulit, nihil omnino eſt. Quæſtio enim eſt tantummodo de forma hominis; an illa

ſine

Digitized by Google

ſine hypoſtaſi eſſe poſſit; quod negat Paulus; ut, ſi Chriſtus ex Apoſtolo formam accepit hominis, hominis dicat accepiſſe hypoſtaſim. Itaque interrogat; *niſi enim ſubſiſtat quid eſt?* Nimirum, forma hominis non erit, adeoque ſubdit; *quomodo dici poteſt forma quod non per ſe exiſtit?* Reliqua eſt tertia reſponſio, quam totam ediſſerere mihi videtur Dionyſius ipſe; *Dicis*, inquit, *duas Hypoſtates eſſe, & duas perſonas unius, & ſolius Chriſti, & duos Chriſtos, & duos Filios, unum natura Filium Dei, qui fuit ante ſæcula, & unum homonyme Chriſtum & Filium David, qui non fuit ante, & fuit in tempore, & ſecundum beneplacitum Dei accepit nomen Filii, ſicut Civitas accipit nomen Domini, & domus nomen ejus, qui eam ædificavit*. Quamobrem hæ erant duæ Hypoſtaſes Pauli, Dei ipſius, quæ ſemper extiterat, fueratque, & erat tantummodo una, cum Filii, & Spiritus Sancti diſtinctas hypoſtaſes Paulus non admitteret; altera puri hominis illius, qui nihilominus Filius Dei appellaretur, quòd eo nomine dignatus eſſet a Deo. Atque hinc nimirum de Neſtorio Mercator: *In eo igitur Paulo Samoſateno conjungitur, in quo habitatorem, & habitaculum pro meritis ſeparat, dividens quod unicuique eorum ſit proprium ex diverſitate naturæ*. Non ergo Paulus poſt Incarnationem Filii diſtinctam a Patre Hypoſtaſim admiſit. Neque vero eam admiſit Beryllus. Atque id nimirum indicavit Euſebius cum ſubjunxit *nec propriam ſed paternam dumtaxat divinitatem in ſe reſidentem habere dixit*; ideſt, ut explicavimus primo loco, aſſeruit, in Chriſto *Deum Patrem* reſidere, non Verbum, quæ perſona eſſet a Patre diſtincta. Atque ita quidem, ſi exactam Hæreſis Berylli deſcriptionem quærimus, quam Euſebius tradidit; habemus ejuſdem veluti capita tria 1. negabat Perſonam Filii a Patre diſtinctam ante Incarnationem 2. negabat poſt Incarnationem eſſe in Chriſto Perſonam a Patre diſtinctam 3. affirmabat Patrem in Chriſto inhabitare. Atque hactenus quidem de Beryllo.

VIII. Ad Euſebium redeo, quem in hac Hiſtoriæ parte Arianiſmi reum Petavius, Tillemontius, Ceillerius faciebant;

Digitized by Google

bant ; Petavius vero etiam imperitiæ. Nihil nunc attinet difficillimam hanc quæſtionem attingere de Euſebii fide atque etiam doctrina. Illud primò dicam univerſim, probari mihi non poſſe, quod quidam faciunt ; adeo facile hujuſmodi notas impingere hominibus doctiſſimis, eoſque credere cœcutire ad ea quæ noſtri etiam pueri vident. Nam illos etiam peccaſſe aliquando in prima litteratura putant. Juſtinum dico, Irenæum, Euſebium ipſum, cum narrant Simoni Mago ſtatuam erectam Romæ fuiſſe : quod mihi quidem admittendum potius videtur, quam peccaſſe illos tanto errore affirmare. Deinde vero de Euſebio hoc affirmo, ſepoſitis factis ejus, imo ceteris ſcriptis (in quibus tamen non modo ex antiquis defenſorem nactus eſt Socratem, ſed ex recentioribus viris doctis, præter Caveum, qui acriter Clericum refutat, itemque Hankium, & Fabricium ; Bullum *in def. Fid. Nic* Valeſium, & Couſinum *in præfat.* Halloixium, Petitdidier, Ceillier) Hiſtoriam certe Eccleſiaſticam ab hac labe dicendam eſſe immunem. Itaque optime explicari poſſe cenſemus, aut quod ex antiquis adverſus eum, ſumptum ex Hiſtoria, objecit Zonaras, aut ex recentioribus Petavius *lib.*1. *de Trin. cap.*XI. : nihil enim habet quod non eodem modo dicatur a reliquis PP. quos defendere omnes præter Petavium Thologi ſolent. Montfauconius *tom.* 1. *collect. nov.* id ex Hiſtoria objecit, quod viſum eſt Valeſio expreſſiſſimum eſſe Chriſti Divinitatis teſtimonium probante Bullo. Multo vero minus nocet Euſebio quod ei Marand *de Chr. divin. lib.*4. *cap.*27. affinxit, animam humanam eum Chriſto Servatori noſtro denegaſſe ; quod nimirum corpus ſæpius nominet, taceat de anima. Id enim fecit quod Joannes verbis illis *Verbum caro factum eſt* ; quod PP. & CC. ſæpiſſime, ex hominis compoſito id expreſſe proferentes, quod niſi Fides doceret, magis incredibile videretur, & quod intuentium oculis obiicebatur.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædicatorum, Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri Socius.

Digitized by Google